

Præterea ius canonicum fundatum est super iure diuino. Ius t̄ autem diuinum inter simplicem loquelam & iuramentum differentiam non facit, 22. *questio. quinta, capit. iuramenti*. Ex hoc ergo corollariè sequitur, nudum pactum in iure canonico tanti esse effectus, quanti iure ciuili quælibet firmissima stipulatio. Ius t̄ autem ciuile fundatur super publica vtilitate, *gloss. in cap. possessor, de regul. iuris, lib. 6.* Sed publicè non est vtile, quælibet voces nonnunquam temere prolatas, actionem continuo producere. Negari tamen non potest, quin ex quocunque pacto nudo etiam iure ciuili oriatur quædam obligatio, quæ appellatur naturalis, *l. Strychum, §. naturalis, Digest. de solutio. l. cum amplius, §. in natura debet, ff. de regul. iur. propter consensum & naturalem æquitatem, quæ est, vt pacta & sic fides seruetur, l. 1. in princip. ff. eod. tit. l. 1. ff. de const. pec.* Quæ naturalis obligatio eiusmodi est, t̄ vt etiam inter patrem & filium, inter quos nulla ciuilis obligatio est, contrahatur, *l. frater à fratre, ff. de condit. indeb.* Ex pollicitatione autem cum nec naturalis obligatio oriatur, non mirum est, si nec de iure canonico possit actionem parere. Quod t̄ enim pollicitatione promissum est, non est debitum, sed quasi debitum, *l. pactum, ff. de pollicitat. Bartol. in l. si vnus, §. pactus ne peteret. post gloss. ibi, ff. eodem tit.* Nunc dubium oritur, quia diximus, pacto actionem de iure canonico nasci, an qualicumque pacto hoc fiat? Ad t̄ quod intelligendum, oportet nouisse pactum esse quoddam proprium, quoddam improprium. Proprium est, quod expressum consensum duorum, vel plurium habet, & de illo non est dubium, quin actionem pariat. Improprium vero est, vbi ex vna parte expressus consensus intercedit, ex altera vero fictus quidam atque præsumtus, legis nimirum dispositione, quæ lex disponit, & præsumit, quod quocumque de alicuius vtilitate agatur, quod ille etiam tacens consentiat, *l. qui paritur, ff. mandati, l. si fideiussor, infra mandati, & vulgata regula, qua dicitur: Qui t̄ tacet, consentire videtur: quæ hoc modo intelligenda est, vt tum videlicet consentiat tacens, quando de vtilitate eius agatur. Ceterum si agatur de eius præiudicio, aut damno, certe tacens tunc non pro consentiente, sed pro dissentiente habetur, alia vulgata regula, qua dicitur, Qui tacet non videtur consentire.* Dubium facit, quia inter Doctores non satis conuenit, vtrum improprium illud pactum potius appelles pollicitationem, quam pactum: tamen communis opinio est, quæ forte in iudicando & consulendo sequenda esset, quod pactum illud, quamuis improprium, actionem tamen iure canonico pariat. Quam rem exemplo sic declarant. Hodie, *inquunt*, t̄ in donatione mortis causa nõ requiritur stipulatio, quemadmodum olim de iure Digestorum, *l. cum pater, §. Mauro, & ibi gloss. ff. de leg. secundo, gloss. mag. in fin. leg. secunda, infra de iure dotium, l. si quis argentum, infra de donat.* sed sufficit nudum pactum interuenisse, ad hoc vt donatio illa valeat. Porro in tali pacto sufficit præsentia donatarii, etiam cum taciturnitate, *l. illud, & ibi Bald. supra de sacrosanct. eccles.* Ergo, *inquunt*, pactum improprium in iuribus etiam correctoriis, cum pacti nomine veniat, habebit easdem vires, quas pactum proprium. Hæc ferè est ratiocinatio Doctorum hic in *leg. secunda, infra eodem, vt per Iasonem & ceteros, quam sententiam sequitur Angelus consil. centesimo octuagesimo tertio.* Ego vero vnus Decii auctoritate fretus à communi sententia recedo. Nam quamuis pactum dicatur de iure canonico actionem parere, vt sic iura ciuilia corrigantur, tamen non puto eo casu pacti nomen extendendum esse ad pactum improprium, sed ad proprium tantum. Quia t̄ omnis correctio legum debet strictissimè intelligi, vt quo ad eius fieri possit, quam minimum derogetur iuri communi, *l. sancimus, infra de testam. l. precipimus, infra de appellat. cum vulg.* Ita quoque exemplum de donatione mortis cau-

sa, nullius erit momenti. Cum enim constet eo loco iura Digestorum à Codice esse correctæ, ita vt non tantum stipulatione, sed & pacto nudo possit donatio illa validari: tamen quia iura sunt correctoria, debent adstringi ad ea pacta, quæ sunt propria. Nec quicquam facit contra nos dicta *l. illud supra, de sacrosanct. eccles.* vbi improprium pactum in donatione vires proprii habet: quia t̄ hoc fit propter causas pias, quæ sunt priuilegiatæ, cum ex pollicitatione eiusmodi locis facta, possit etiam oriri actio, ex qua tamen alias actio non gignitur. Ex his ergo multa Doctorum dissidia ad concordiam rediges, apud quos eandem promissionem sæpe aliter atque aliter accipi vides, videlicet vel pro pacto, vel pro pollicito, vbi protinus in mentem veniet, pactum illud improprium habere cum pollicito magnam affinitatem, ita vt rectius pollicitum, quam pactum diceretur. Proprium autem pactum, id est, quod expressiuum est consensus, recte pactum dici, quemadmodum in definitione diximus. Pro t̄ complemento adiiciendum hic est, quod quamuis pollicitatio propter frigiditatem, nec iure canonico, nec ciuili actionem pariat, tamen si verbum Polliceor, aut eius generis aliud in instrumento reperitur, stipulationem inducat, ita vt etiam iure ciuili agi possit, & hoc est propter auctoritatem instrumenti, *Ita Cyn. & Bald. in l. 1. infr. de dotis promiss.*

L. I. CONDITIONIS.

- 1 Spes vendi potest, & num. 4.
- 2 Diuisio legis huius.
- 3 Condici potest ob causam datum causa non sequuta.
- 4 Ad probandam læsionem semper inspicitur tempus contractus.
- 5 Euentus damni in restitutione non inspicitur.
- 6 Deceptus vltra dimidium quando non restituatur.
- 7 Fideicommissum inter fratres relictum, in vita remitti potest.
- 8 Pater æqualitatem inter filios seruare debet.
- 9 Voluntas testatoris pro lege habetur.
- 10 Datum respectu deficientium liberorum non repetitur, licet postea nascantur.
- 11 L. si vnquam, C. de reuoc. donat. etiam intelligi in venditione paruo pretio facta.
- 12 Conditio, si sine liberis: etiam verificatur in vno filio.
- 13 Grauat per fideicommissum, si liberos non habuerit, & postea habeat, tunc liberi non videntur substituti, sed succedunt grauato ab intestato.
- 14 Filius grauatus fideicommissio potest detrahere duas quartas.
- 15 Incerta conditio, siue ius futurum potest remitti pacto, sed non renuntiatione simplici.
- 16 Verbum, remisit, in instrumento positum, non habet simplicis renuntiationis, sed pacti vim, propter auctoritatem instrumenti.
- 17 Si actus non valet vt ago, valeat vt valere potest.
- 18 Renuntiatio & pactum, quomodo differant.
- 19 Iuri futuro renuntiat non potest: fallit vt num. sequentibus.
- 20 21 22.
- 23 Geminatus actus præiudicat, licet vnus non præiudicet, Idem de confessione extraiudiciali, & num. 24.
- 25 Verba enuntiativa geminata actionem pariant.
- 26 Pactum de futura successione non valet.
- 27 Forma contractus inspicienda.
- 28 In contractibus innominatis vt actio oriatur, requiritur ex parte volentis agere, perfecta impletio.

Legem istam quamuis alii aliter summant, Baldi tamen summarium præ aliis placet, quo dicit, t̄ qui remittit spem dubii euentus modico accepto, non dicitur lædi, & quicumque euentus sequatur, ratum manet, quod gestum est. Diuiditur t̄ autem in duas partes, 2 in quarum prima in genere proponit thema: in secunda per rationes illud deducit. Difficultas autem totius legis ferè in specie facti est posita, ideo Odofredum, Paulum de Castro & Iasonem non puduit hic fingere casum. Dubitandi autem rationes tot ferè possunt assignari,